



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

Vtrum liberum arbitrium sit voluntas vel potentia alia a voluntate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

alia, & sic recedunt ab aliorum accidentium similitudine. Nam accidentia alia illo respectu quo comparantur ad subiectum, non comparantur ad aliquid extra; sed agendo comparantur ad extra, in herendo ad subiectum. Amor vero & notitia alio quo uno modo comparantur ad subiectum, & ad ea quæ sunt extra, quamuis aliquis modus sit quo comparantur ad subiectum tantum. Sic ergo non oportet, quod amor & notitia sint essentialia menti nisi secundum quod mens per suam essentiam cognoscitur & amatur.

Ad xv. Dicendum, quod ratio procedit de potentia passiva ad esse; qualis est materia prima, quæ non producit se ad actum, non autem locum hæt de potentia operativa, qualis est liberum arbitrium quæ ad actum ducitur per obiectum.

ARTICVLVS V.

Verum liberum arbitrium sit una potentia uel plures.

Quinto queritur, utrum liberum arbitrium sit una potentia, uel plures. & uidetur quod sit plures potentia, ut enim dicit August. liberum arbitrium est facultas uoluntatis, & rationis: ratio autem & uoluntas sunt diuersæ potentia. ergo liberum arbitrium ad diuersas potentias pertinet.

¶ 2 Præ. Potentia cognoscitur per actus: sed libero arbitrio ascribuntur actus diuersarum potentiarum, ut enim dicit Damasc. in 2. lib. de Libero arbitrio, in nobis hoc contingit putari moueri & non moueri, impetum facere & non facere, appetere, & non appetere, & alia huiusmodi, quæ certum est ad plures potentias pertinere. ergo liberum arbitrium est plures potentia.

¶ 3 Præ. Boc. dicit in lib. de Consol. diuinitis substantias. scilicet angelis liber. arbitrium secundum hoc inest: quia est in eis perspicax iudicium & uoluntas incorrupta: sed perspicacitas iudicij ad rationem pertinet. ergo liberum arbitrium includit in se uoluntatem & rationem, & ita liberum arbitrium est plures potentia. sed dicendum, quod est una potentia habens uirtutem duarum.

¶ 4 Sed contra, sicut in parte superiori anime inuenitur cognitiua & affectiua, ita in parte inferiori in parte superiori non est aliqua potentia, quæ habeat in se uirtutem cognitiuæ & affectiua. ergo nec in parte inferiori.

¶ 5 Præ. Boc. dicit in lib. de Consol. Philosophiæ, quod extrema seruitus est, cum mentes humane uitis deditæ, mox inscientia nubæ caligant, & pniciosis turbantur affectibus; seruitus autem de qua ibi loquitur, libertati arbitrii opponitur. ergo liberum arbitrium includit in se rationem & affectum: & sic idem quod prius.

Sed contra, Homo dicitur minor mundus, in quantum in eo maioris mundi similitudo inuenitur: sed in maiori mundo non inueniuntur duæ extreme nature sine media. ergo nec in homine inueniuntur duæ potentie extreme sine media. Inuenitur autem una potentia in homine, quæ semper tendit in bonum scilicet synderesis, & alia quasi huic opposita quæ semper inclinat in malum scilicet sensualitas. ergo inuenitur aliqua una potentia, quæ se habet ad bonum, & malum, & hæc est liberum arbitrium: & sic uis, quod liberum arbitrium sit una potentia.

RESPON. Dicendum, quod duplici consideratione fuerunt quidam moti, ad ponendum liberum arbitrium esse plures potentias. Vna quidem ex hoc, quod

A videbant per liberum arbitrium nos posse in actu omnium potentialium. unde ponebant liberum arbitrium esse, quasi totum uniuersale respectu omnium potentialium: sed hoc esse non potest, quia sic sequeretur quod in nobis sint multa libera arbitria, propter potentialium multitudinem: multi enim homines sunt multa animalia. Nec hoc ad ponendum cogimur ratione predicta. omnes enim actus diuersarum potentialium non referuntur ad liberum arbitrium, nisi mediante uno actu, qui est eligere. Secundum hoc enim libero arbitrio mouemur, quod libero arbitrio moueri eligimus, & sic de aliis actibus. Unde ex hoc non ostenditur, liberum arbitrium esse plures potentias; sed esse unam potentiam mouentem sua uirtute potentias diuersas.

B Alia uero consideratione mouebantur quidam, ad ponendum pluralitatem potentialium in libero arbitrio ex hoc, quod uidebant in actu liberi arbitrii concurrere aliqua, quæ ad diuersas potentias pertinent. scilicet iudicium quod est rationis, & appetitum, qui est uoluntatis. Vnde dixerunt liberum arbitrium colligere in se plures potentias per modum, quo totum integrale continet suas partes. Hoc autem esse non potest. Cum enim actus, qui libero arbitrio attribuitur, sit unum speciale actus, scilicet eligere, non potest a duobus potentijs immediate progredi; sed progreditur ab una immediate, & ab altera mediate, in quantum quod est prioris potentia, in posteriori relinquitur. unde reat, quod liberum arbitrium sit una potentia.

C AD PRIMUM ergo dicendum, quod Aug. dicit liberum arbitrium esse facultatem uoluntatis & rationis: quia ad actum liberi arbitrii homo per utramque ordinatur potentiam, licet non immediate.

AD II. Dicendum, quod liberum arbitrium non ordinatur ad actus diuersarum potentialium, nisi mediante uno actu proprio suo, ut dictum est.

AD III. Dicendum, quod Boc. attribuit libero arbitrio id, quod est diuersarum potentialiarum, in quantum per diuersas potentias homo ad actum liberi arbitrii ordinatur, ut dictum est.

AD IIII. Dicendum, quod in parte irrationali, uel inferiori anime est solum simplex apprehensio ex parte cognitiua: non autem alia collatio, uel ordinatio, sicut est in apprehensiuâ rationali. & ideo in parte sensitua appetitus absolute fertur in obiectum sine hoc, quod aliquis ordo ex apprehensiuâ in appetitiua relinquitur. unde in parte sensitua non est aliqua potentia comprehendens in se aliquam apprehensiuam & appetitiuam, sicut est in parte rationali.

AD V. Dicendum sicut ad IIII.

ARTICVLVS VI.

Verum liberum arbitrium sit uoluntas, uel alia anime potestas a uoluntate distincta.

Sexto queritur, utrum liberum arbitrium sit uoluntas, uel alia potentia a uoluntate. & uidetur quod sit potentia alia. Illud enim quod predicatur de aliquo essentialiter, non debet poni oblique in definitione eius, sicut animal non ponitur oblique in definitione hominis: sed ratio & uoluntas ponuntur oblique in definitione liberi arbitrii. dicit enim facultas uoluntatis & rationis. ergo liberum arbitrium non est ratio uel uoluntas: sed alia potentia ab utraque.

¶ 2 Præ. Differentie potentialium cognoscuntur secundum differentias actuum: sed eligere quod est actus liberi arbitrii, est aliud quam uelle, quod est actus uoluntatis, ut patet per Philos. in 3. Eth. ergo liberum arbitrium est alia potentia a uoluntate.

¶ 3 Præ.

In illis art.

In corp. art.

l. p. q. 8. a. 4.

cap. i.

¶ 3 Præt. In nominatione liberi arbitrii, arbitriū ponitur in abstracto: sed libertas in concreto: arbitrium autem est rationis, libertas uoluntatis. ergo id, quod est rationis, essentialiter conuenit libero arbitrio: quod autem est uoluntatis quasi denominatiue & actualiter, & sic liberum arbitriū magis uidetur esse ratio, quam uoluntas.

Dam. li. 2. c. 27. Greg. li. 7. de lib. arb. c. 7.

¶ 4 Præt. Secundum Dam. & Greg. Nissenum, secundum hoc sumus arbitrio liberi quod sumus rationales: sed rationales sumus secundum quod habemus rationem. ergo secundum quod habemus rationem sumus arbitrio liberi, & ita uidetur, quod liberum arbitrium sit ratio.

¶ 5 Præt. Secundum ordinem habituum est ordo potentiarum: sed actus fidei, quæ est habitus rationis, informatur charitate, quæ est habitus uoluntatis. ergo & actus rationis informat uoluntate, & non e conuerso: & ita, si actus liberi arbitrii est duarum potentiarum, scilicet uoluntatis & rationis, unius sicut elicientis, & alterius, sicut informantis, uidetur quod sit rationis, sicut elicientis: & ita liberum arbitrium essentialiter est ratio, & sic aliter a potentia, quam uoluntas.

Li. 5. c. 14. ante med. Cap. 3. circa finem.

SED CONTRA est, quod Dam. dicit in 3. lib. 14. ca. Liberum arb. nihil aliud est, nisi uoluntas.

¶ 2 Præt. Phil. dicit in 3. Eth. quod electio appetitus est præconscientiati; electio autem est actus liberi arbitrii. ergo liberum arbitrium est potentia appetitiua: sed non est appetitus inferior, qui diuiditur per irascibilem & concupiscibilem, sic. n. bruta herent liberum arbitrium. ergo est appetitus superior, & hic est uoluntas secundum Philo. in 3. de Anima. ergo liberum arbitrium est uoluntas.

Text. 57. & præced.

RESPON. Dicendum, quod quidam dicunt liberum arbitrium esse tertiam potentiam a uoluntate & ratione, pro hoc quod uident actum liberi arbitrii qui est eligere, differentem esse, & ab actu simplicis uoluntatis, & ab actu rationis. Nam rationis quidem actus in sola cognitione consistit: uoluntas autem actum suum habet circa bonum quod est finis: libere uero arb. circa bonum, quod est ad finem. Sicut ergo bonum, quod est ad finem, egreditur a ratione finis, appetitus uero boni a cognitione uicini dicunt quodammodo, naturali ordine ex ratione uoluntatem procedere, & ex duabus tertiam potentiam, quæ est liberum arbitrium. sed hoc conuenienter stare non potest: obiectum enim & id, quod est ratio obiecti ad eandem potentiam pertinent: sicut color & lumen ad uisum. Tota autem ratio appetibilitatis eius quod est ad finem, in quantum huiusmodi est finis. Vnde non potest esse, quod ad aliam potentiam pertineat appetere finem, & id, quod est ad finem. Nec hæc differentia, qua finis appetitur absolute, id autem quod est ad finem in ordine ad alterum, potest appetitiuarum potentiarum distinctionem inducere. Nam ordinatio unius ad alterum inest appetitui non per se, sed per aliud. scilicet per rationem, cuius est ordinare & conferre; unde non potest esse differentia specifica constituens speciem appetitus. Vtrum autem eligere sit actus rationis, uel uoluntatis, phil. sub dubio uidetur relinquere in 7. Eth. supponens tamen quod aliqua sit uirtus utriusque, dicens quod electio, uel est intellectus appetitui, uel appetitus intellectui, sed quod sit appetitus dicit in 3. Eth. definiens electionem esse desiderium præconscientiati. Quod quidem uerum esse & ipsum obiectum demonstrat (nam sicut bonum delectabile & honestum, quæ habent rationem finis, sunt obiectum appetitiue uir-

6. Eth. ca. 2. circa finem.

Cap. 3. non procul a h.

tutis: ita & bonum utile, quo proprie eligitur) & patet ex nomine. Nam liberum arbitrium, uel electio, est potentia, qua homo libere iudicat potest. Quod autem dicitur esse principium alicuius actus alicuius, non oportet quod sit principium illius actus simpliciter, sed alicuius significatur esse principium illius: sicut grammatica per hoc quod dicitur esse scientia recte loquendi, non dicitur quod sit principium locutionis simpliciter: sine grammatica potest homo loqui: sed quod sit principium rectitudinis in locutione: ita & potentia, qua libere iudicamus, non intelligitur illa, qua iudicamus simpliciter, quod est rationis: sed quæ facit libertatem in iudicando, quod est uoluntatis. unde liberum arbitrium est ipsa uoluntas, nominatur autem eam non absolute, sed in ordine ad aliquem actum eius, qui est eligere.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod quia liberum arbitrium non nominatur uoluntatem absolute, sed in ordine ad rationem, inde est quod ad hoc significandum uoluntas, & ratio in definitione liberi arbitrii oblique ponuntur.

AD II. Dicendum, quod quantum eligere sit alius actus, quam uelle: tamen ista differentia non potest potentiarum distinctionem inducere.

AD III. Dicendum, quod quantum iudicium sit rationis: tamen libertas iudicandi est uoluntatis immediate.

AD IIII. dicendum, quod rationales dicuntur non solum a potentia rationis: sed ab anima rationali, cuius potentia est uoluntas. & sic dicendum quod rationales sumus dicimus esse liberum arbitrium. Si tamen rationale a rationis potentia sumatur, prædicta auctoritas, significaret rationem esse primam liberi arbitrii originem, non autem immediatam electionis principium.

AD V. Dicendum, quod uoluntas quodammodo mouet rationem imperando actum eius, & ratio mouet uoluntatem proponendo ei obiectum suum, quod est finis. & inde est quod utraque potentia potest alicuius in forma.

ARTICVLVS VII. Vtrum aliqua creatura esse possit, quæ liberum arbitrium habeat confirmatum in bonum.

SEPTIMO queritur, utrum possit esse aliqua creatura, quæ liberum arbitrium habeat naturaliter confirmatum in bono, & uideatur quod sic natura enim spiritualis est nobilior, quam corporalis. sed aliqua natura corporalis est cui hoc conuenit, quod in ea nulla motus inordinatio esse possit. natura celestis corporis. ergo multo fortius potest esse aliqua natura creata spiritualis, quæ est capacior arbitrii in cuius motibus naturaliter nulla inordinatio esse possit, quod est esse impeccabilem, uel esse mereri in bono. sed dicendum, quod hoc est de nobilitate creaturæ spiritualis, quod possit mereri, & hoc esse non possit, nisi possit peccare, & non peccare.

¶ 2 Sed contra, ex hoc competit alicui creaturæ spirituali posse mereri, quod habet dominium sui actus: sed si non possit nisi bona agere, nihilominus ei sui actus dominium remaneret: post eum aliquod bonum agere, uel non agere sine hoc quod in malum incideret, uel saltem eligere inter bonum & melius. ergo ad merendum non requiritur posse peccare.

¶ 3 Præt. Liberum arbitrium, quo meretur gratia adiuuante, est potentia actiua: sed de ratione potest esse actiua, non est deficere. ergo potest creatura spiritualis habere potentiam ad merendum, si naturaliter sit impeccabilis.